

nit ad libertatem; at si nullus heredi successerit, jure constituto, nulli dando ad libertatem perveniet.

95. Idem, [lib. 4 juris Epitolarum].

Legatum sub conditione relictum, et ad alium translatum, si non conditio personae cohaereat, sub 43 eadem conditione translatum videtur.

96. PAULUS, [lib. 1, ad Neratium].

Titio usufructus servi legatus est, et, si ad eum pertinere desisset, libertas seruo data est; Titius vivo testatore decessit: libertas non valet: quia 46 conditio nec initium accepit. Paulus: Ergo et si viveret Titius et capere non potest, idem dicendum est: desisse 47 enim non videtur, quod nec incipit. — § 1. Servi usufructus mulieri, quoad vidua esset, legatus; idem servus, si ea 48 nupsisset, liber esse jussus est: si mulier nupsisset, liber erit: quia potior est legato libertas 49.

97. Idem, [lib. 3, ad Neratium].

Municipibus, si jurassent 50, legatum est: hæc conditio non est impossibilis. Paulus: Quemadmodum ergo pareri potest? per eos itaque jurabunt 51, per quos municipii res geruntur.

98. Idem, [lib. 3, ad Neratium].

Mea res sub 52 conditione legari mihi potest: quia, in hujusmodi legatis non testamenti facti tempus, sed conditionis expletæ spectari oportet.

99. PAPINIANUS, [lib. 18 Quæstionum].

Conditiones extrinsecus legari non ex testamento venientes, id est, quæ tacite inesse 53 videantur, non faciunt legata conditionalia.

100. Idem, [lib. 7 Responsorum].

Titia, si non nupsisset, ducenta, si nupsisset, centum legavit; nupsit mulier: docenta, non etiam centum residua petat: ridiculum est enim, eandem et ut viduam et ut nuptam admitti.

101. Idem, [lib. 8 Responsorum].

Pater Severianam Proculam Ælio Philippo cognato nuptiis testamento designavit: eidem filiae prædium, si Ælio Philippo nupsisset, verbis fideicommissi reliquit; quod si non nupsisset, idem prædium Philippo dari voluit: nondum viripotens puella diem suum obiit. Respondi, cum in 54 conditionibus testamentorum voluntatem potius, quam verba considerari oporteat, Ælio Philippo fideicommissum ita datum videri, si ei Procula defuncti filia nubere noluisset: quare cum ea prius, quam viripotens fieret, vita decesserit, conditionem extitisse non videri. — § 1. Ita fideicommissum dato, Volo restituas si sine liberis decedas: conditio deficit ex voluntate, vel uno 55 filio superstitie relicto. — § 2. Conditionum verba, quæ testamento præscribuntur, pro 56 voluntate considerantur: et ideo, cum tutores testamento dati, quoniam interea puer adoleverat, id egerint, at curatores ipsi constituerentur, conditio fideicommissi talis præscripta, Si tutelam in annum octavum decimum gesserint, defecisse non videbitur. — § 3. Socrus nuri fideicommissum ita reliquerat, si cum filio meo in matrimonio perseveraverit: divortio sine culpa viri post mortem socrus facta, defecisse conditionem respondi, nec ante diem fideicommissi cadere quam mori cõperit nupta vel maritus; et ideo nec Mucianam cautionem locum habere; quia 57 morte viri conditio possit existere. — § 4. Fideicommissa menstrua et annua sub ea conditione liberto relicta, Quamdiu res patroni filiae gesserit, etsi præstari necesse est, filia prohibente res suas administrari: tamen voluntatem filia mutante, conditionem resumunt, quoniam plura sunt.

102. Idem, [lib. 9 Responsorum].

Cum avus filium ac nepotem ex altero filio heredes instituisset, a nepote petiit, ut si intra annum trigenario moreretur, hereditatem patris suo restitueret: nepos liberis relictis, intra ætatem superscriptam vita decessit: fideicommissi conditionem, conjectura pietatis, respondi defecisse 58, quod minus scriptum, quam dictum fuerat, inveniretur.

103. PAULUS, [lib. 14 Quæstionum].

Si ita legatum sit, Titio post decem annos dato, si satis ab herede non egererit, et Titius intra decimum annum decesserit, ad heredem suum transmittat legatum: quia moriente eo conditio extitit.

104. Idem, [lib. 14 Responsorum].

Eum, qui post apertum testamentum deportatus 59, et restitutus est,

45. L. 21, in pr. supr. de adm. vel transf. legat. — 46. Vide tamen L. 3, § 1, supr. usufr. quemadm. caret. — 47. L. 203, infr. de reg. jur. — 48. L. ult. infr. de statulib. — 49. L. 14, in pr. supr. de legat. 1. — 50. L. 11, in fin. supr. de legat. 1. — 51. Immo vide L. 56, in fin. pr. supr. h. t. — 52. L. 41, § 2, supr. de legat. 1. — 53. L. 1, § ult. supr. h. t. L. 6, § 1, infr. quando dies legat. — 54. L. 19, in pr. supr. h. t. — 55. L. 6, § 2, C. ad St. Trebell.; L. 248, l. 149, infr. de verb. sign. — 56. L. 7, in fin. supr. de supell. legat. — 57. L. 72, § 2, supr. h. t. — 58. L. 45, in pr. supr. de vulg. et pupil. subdit.; L. 6,

fideicommissum petere posse, cujus conditio postea extitit, quam civitatem romanam recipiat.

105. POMPOSIUS, [lib. 5 Epistolarum].

Si fundum a testatore sub conditione legatum heres alii pendente conditione legavit, post existentem conditionem, quæ priori testamento præposita fuerat, neque proprietatem a priori 60 legatario recedit, nec locum religiosum in eo fundo heres facere, nec servitutem imponere poterit: sed et imposita servitus 61 finietur existente conditione.

106. JULIANUS, [lib. 28 Digestorum].

Hoc genus legati, Si Titio non nupsisset, perinde habendum est, ac si post mortem Titii legatum fuisset, et ideo nec Muciana satisfactione interposita capere legatum potest: sed et alii nubendo, nihilominus legatum consequitur.

107. GAUUS, [libro singulari de Casibus].

Aliquando accidit, ut sub conditione datum legatum purum intelligatur: veluti quod sub eadem 62 conditione relictum est, sub qua etiam heres alius institutus est: item quod sub hac conditione relictum est, si hereditatem adierit. Ex diverso quoque purum datum legatum conditionale videtur: veluti quod sub conditione ademptum est: quia sub contraria 63 conditione datum intellegitur.

108. SCÆVOLA, [lib. 19 Digestorum].

Libertis omnibus legavit domum: et hæc verba adiecit, ut in ea habitent liberti, ne de nomine exeat, et ut ad unum, qui novissimus extiterit, perveniat, et eo amplius eisdem libertis meis dari volo fundum Sostanum. Quæsitum est, an conditio adposita, ne de nomine exiret, ad sequens quoque legatum pertineret? Respondit, pertinere 64.

109. Idem, [lib. 20 Digestorum].

A testatore rogatus, ut acceptis centum nummis restitueret hereditatem Titie coheredi sua, adita hereditate decessit, similiter et Titia, antequam daret centum: quæsitum est, an heres Titie, offerendo centum ex fideicommissio, partem hereditatis consequi possit? Respondit, heredem conditioni parere 65 non posse. Claudius: magno ingenio de jure aperto respondit, cum potest dubitari, an in proposito conditio esset.

110. POMPOSIUS, [lib. 9 Epistolarum].

Etiam si invitis heredibus ex peculo statuliber pecuniam Titio det, liber quidem fit: sed Titius, qui invitis heredibus sciens accepit, pro possessore videtur eam pecuniam possidere, ut avocare 66 eam hi, qui invitati fuerunt, possint.

111. Idem, [lib. 11 Epistolarum].

Qui sub conditione rationum reddendarum 67 liber esse jussus est, docere debet, constare fidem omnibus, quæ ab eo gesta sunt: ut neque subtraxerit quid ex his, quæ acceperit, neque expensum rationibus præscriperit, quod non dederat: sed et quod reliquum per contextum scriptum est remanere apud eum, solvere debet: neque enim aliter liber esse potest, quam si hoc modo conditioni, sub qua data est libertas, satisfecerit. Ceterum debitores, cum quibus ipse contraxerit, non utique in diem mortis domini sui fuisse idoneos 68 præstare cogendus est: sed eo tempore, quo his creditum est, ejus conditionis fuisse, ut diligens paterfamilias his creditoribus fuerit.

112. Idem, [lib. 12 Epistolarum].

Tales conditiones, si monumentum (puta) fecerint, pluribus proposita, non 69 possunt nisi in omnibus simul personis existere. — § 1. Item, si Sumpthoro et Januario centum Titius præstiterit, fundum ei lego. Sumpthoro mortuo an legatum perisset? sed hoc quoque sic puto interpretandum, ut si dum quisque eorum viveret, præstitisset. Sed benigna interpretatione dicendum, si non post mortem Titii Sumpthorus decessit, debere partem dimidiam Januario dantem, partem fundi dimidiam legatarium esse consecuturum. — § 2. De illo quoque quæritur, fundus quibusdam legatus est, si pecuniam certam in fufus impensamque perferendi 70 corporis in aliam regionem dedidisset: nam, nisi uterque dederit, neutri sit legatum: quoniam conditio nisi per utrumque expleri non potest. Sed hæc humanius interpretari solemus: ut cum duobus fundus legatus sit, si decem dedidisset, et alteri dando partem, legatum quoque debeatur. — § 3. Priscus respondit, statuliberum non utique ibi,

C. de instit. et subdit.; L. 30, C. de fideicom. — 59. L. 59, § 1, in fin. supr. h. t.; L. 59, § 4, supr. de hered. instit. — 60. L. 84, in pr. supr. de legat. 1; L. 15, supr. de reb. dub. — 61. L. 11, in fin. supr. quemadm. servit. amitt. — 62. L. 21, § 1, infr. quando dies legat. — 63. L. 6, in pr. infr. d. t.; L. 10, in pr. supr. de adm. vel transf. legat. — 64. L. 77, in pr. L. 83, supr. h. t. — 65. L. 51, in fin. supr. cod.; L. 104, § 1, supr. de legat. 1. — 66. Immo vide L. 26, § 1, infr. de statulib. — 67. L. 82, supr. h. t. — 68. L. 41, in fin. infr. de fideicom. libert. — 69. Immo vide L. pen. C. de condit. insert. — 70. L. 14, § 4, supr. de religio.

ubi paterfamilias decessit, aut ubi ipse relictus sit, aut ubi velit, rationes reddere debere: sed interim proficisci ad eum, cui reddere debeat: utique si in republica causa aberit: verissimum est autem, ut alias aliud ex persona locoque sit æstimandum.

113. PAULUS, imperialium Sententiarum in cognitionibus prolatarum ex libris sex libro secundo.

Cum filius rogatus fuisset a patre, si antiquam res suas administrare posset, decessisset, hereditatem Titio restituere: et egressus viginti annos decessisset: rescriptum est, fideicommissum deberi.

TIT. II.

AD LEGEM FALCIDIAM.

1. PAULUS, [lib. singul., ad legem Falcidiam]

Lex Falcidia lata est, quæ primo capite liberam 2 legandi facultatem dedit [usque ad dodrantem] his verbis: Qui cives romani sunt, qui eorum post hanc legem rogatum testamentum facere volet, ut eam pecuniam, easque res quibusque dare, legare volet, jus potestatisque esto, ut hac lege sequenti licebit. Secundo capite modum legatorum constituit his verbis, Quicumque civis romanus post hanc legem rogatum testamentum faciet, is quantum cuique civi romano pecuniam jure publico dare, legare volet, jus potestatisque esto: dum 3 ita detur legatum, ne minus, quam partem quartam hereditatis, eo testamento heredes capiant: eis, quibus quid ita datum, legatumve erit, eam pecuniam sine fraude sua capere licet: isque heres, qui eam pecuniam dare jussus damnatus erit, eam pecuniam debet dare, quam damnatus est. — § 1. Lex Falcidia etiam ad eos, qui apud hostes 4 moriuntur, propter legem Corneliam pertinere videtur: quod ea lex perinde eorum testamenta confirmat 5, atque si in civitate decessissent: propter quam fictionem lex Falcidia, et omnes testamentaria pertinent: quæ tamen possint locum habere. — § 2. Ad eos, qui omnia causa testamenti, possident hereditatem, non pertinet lex Falcidia: sed per edictum 6 prætoris inducitur potestas legis. — § 3. Idemque est, si jururandi conditio remissa 7 sit. — § 4. Sed et si servo suo testator data libertate legaverit; quia differtur in id tempus, quo liber futurus est; item si ei, qui apud hostes est, aut ei, qui nondum natus est, datum sit aliquid, hæc lex locum habebit. — § 5. Ad municipium quoque legata, vel etiam ea quæ Deo relinquuntur, lex Falcidia pertinet. — § 6. Non solum autem ad res proprias testatoris legatas, sed et alienas lex pertinet. — § 7. Et omne quod ex bonis defuncti erogatur, referatur ad hanc legem: sive in corpore constet certo incertoque, sive pondere, numero, mensura valeat, aut etiam si jus legatum sit, ut usufructus, aut quod in nominibus est. — § 8. Item si ita legatum sit, heres meus Seio penum dabo: si non dederit, decem 8 dato: quidam putant omnimodo in legato decessisse, penum autem mortis causa capi, nec in Falcidiam imputare id heredem posse. Ego autem didici, si in continentis heres penum solverit, videri hoc legatum esse, et in legem Falcidiam imputari posse: et quod dixi in continenti, ita accipiendum, cum aliquo 9 spatio: quod si jam mora facta solverit heres penum, tunc nec legatum eum accepisse, nec in Falcidiam imputari posse: jam enim transfusus legatum esse et decem deberi. Idemque erit, et si ab initio ita legatum datum sit, Si penum non dederit, decem dato: quia hic penus non est legata: et penus si datur, mortis causa capitur: quia deficit legati conditio. — § 9. Si usufructus legatus sit, qui et dividit 10 potest, non sicut ceteræ servitutibus 11 individue sunt: veteres quidem æstimandum totum usufructum putabant, et ita constituendum quantum sit in legato. Sed Aristoteles a veterum opinione recessit: ait enim, posse quartam partem ex eo, sicut ex corporibus retineri; idque Julianus recte probat. Sed operis servi legatis, cum neque 12 usus, neque usufructus in eo legato esse videtur, necessarii est veterum sententia, ut sciamus, quantum est in legato: quia necessario ex omnibus, quæ sint facti, pars decedere debet, nec pars operæ intelligi potest. Imo et in usufructu, si quaratur, quantum hic capiat, cui usufructus datus est: quantum ad ceterorum legatorum æstimationem, aut etiam hujus ipsius, ne dodrantem excedat legatum, necessario ad veterum sententiam revertendum est. — § 10. Si quis creditor suo, quod debet, legaverit: aut inutile legatum erit 13, si nullum commodum in eo versabitur, aut si propter representationis (puta) commodum utile erit, lex quoque Falcidia in eo 14

Tre. II. — 1. Lib. 6, C. 50, 2, Inst. 22, N. 1. — 2. N. 1, in pr.; N. 22, c. 2. — 3. L. 75, in fin. infr. h. t. — 4. L. 18, vers. nec huic contrarium infr. cod. — 5. L. 12, supr. qui testam. facere. — 6. L. 6, in pr. supr. si quis omnia. caus. testam. — 7. L. 26, in fin. pr. supr. de condit. et demonstr. — 8. L. 79, in pr. infr. quando dies legat.; L. 1, supr. de peno legat. — 9. L. 105, infr. de solution.; L. 5, § 1, infr. de collation. — 10. L. 83, infr. h. t.; L. 5, supr. de usufr.; L. 19, supr. de usu et habit.; L. 14, supr. quib. mod. usufr. — 11. L.

commodo locum habebit. — § 11. Si legatarius possessionem nactus est, et non 15 potest avocari ei res, quia voluntate heredis errantis nactus est possessionem: dabitur actio heredi, ut id, quod supra dodrantem est, offeratur. — § 12. Interdum omnimodo necessarium est, solidum solvi legatario interposita stipulatione 16, quanto 17 amplius, quam per legem Falcidiam ceperit, reddi: veluti si quæ a pupillo legata sint, non excedant modum legis Falcidiæ: veremur autem, ne impubere eo mortuo alia legata inveniantur, quæ contributione facta excedant dodrantem. Idem dicitur, et si principali testamento quadam sub conditione legata sunt, quæ an debeantur, incertum est: et ideo si heres sine iudice solvere paratus sit, prospiciet sibi per hanc stipulationem. — § 13. Id, quod ex substitutione coheredis ad coheredem pervenit, proficit legatario. Is enim similis est heres ex parte pure, ex parte sub conditione heredi instituto: sed ea, quæ ab eo legata sunt, si omiserit hereditatem, non augentur, scilicet si ab eo nominatim data sunt, non quisquis mihi heres erit. — § 14. Si coheredis mei portio exhausta sit, mea integra, et illam vindicavero, Cassius confundendas esse partes existimat: Proculus contra; in qua specie et Julianus Proculus adsensit: quam sententiam probabilior esse puto. Sed et divus Antoninus iudicasse dicitur commendas esse utrasque partes in computatione legis Falcidiæ. — § 15. Si coheredem meum post aditam hereditatem adrogavero: non dubitabitur, quin separandæ sint portiones, perinde atque si coheredi meo heres existissem. — § 16. Si in annos singulos legatum sit Titio, quia multa 18 legata et conditionalia sunt, cautioni 19 locus est, quæ in edicto proponitur, quanto amplius accipit, reddi. — § 17. Id, quod natura hereditati debetur, et peti quidem non potest, solum vero non repetitur, non esse computandum in hereditate quidam putant. Sed Julianus et hæc ex eventu augere patrimonium aut non augere existimat, et hereditario jure id quoque capi: ideoque et in restitutionem hereditatis venturum. — § 18. Si debitor 20 creditor heres existat, quamvis confusione liberetur, tamen locupletior hereditatem percipere videtur: ut computetur ei quod debet, quamvis aditione confusus sit. — § 19. De impensa monumenti nomine facta, quæritur, an deduci debeat? Et Sabinus ita deducendum putat, si necessarium fuerit monumentum extruere. Marcellus consultus, an funeris monumentique impensa, quantum testator fieri jussit, in ære alieno deduci debeat, respondit, non amplius eo nomine, quam quod funeris 21 causa consumptum est, deducendum: nam ejus quod in extructionem monumenti erogatum est, diversam esse causam; nec enim ita monumenti ædificationem necessariam esse, ut sit funus ac sepultura: idcirco eum cui pecunia ad faciendum monumentum legata sit, Falcidiam passurum.

2. MARCELLUS, [lib. 22 Digestorum].

Nec amplius concedendum erit, quam quod sufficiat ad speciem modicam monumenti.

3. PAULUS, [lib. singul., ad legem Falcidiam].

Si heres institutus eam hereditatem, quæ solvendo non est, vendiderit: vix quidem poterit persuaderi non fuisse eam hereditatem solvendo, quæ emptorem inveniret; vera autem ratione nihil legatarii debetur: quia magis ex stultitia emptoris habere videtur heres institutus, quam ex bonis defuncti: nam et contrario, si male vendiderit res hereditarias, non erit hoc legatario detrimentum: ita ergo commodum debet esse heredis, si bene res administraverit. — § 1. Sed et si is, qui solvendo non est, legaverit, et heres cum creditoribus deciderit, ne solidum solveret, et ob eam decisionem factum sit, ut aliquid retineret, nihil tamen legatarii debetur: quia eam pecuniam non ex hereditate, sed ex decisione habet. — § 2. Item si reipublice in annos singulos legatum sit: cum de lege Falcidia quæretur, Marcellus putat, tantum videri legatum, quantum sufficiat sorti ad usuras trientes ejus summæ, quæ legata est, colligendas.

4. PAPINIANUS, [lib. 16 Quæstionum].

Fundo legato mihi sub conditione, pendente legati conditione heres me heredem instituit, ac postea legati conditio extitit: in Falcidia ratione fundus non 22 jure hereditario, sed legati, meus esse intellegitur.

5. Idem, [lib. 8 Responsorum].

Verbis legati vel fideicommissi non necessarie civitati relinquunt, quod ex causa pollicitationis præstari necesse est. Itaque si debiti modum testamentum dominus excessit, superfluum duntaxat Falcidia minuetur.

infr. h. t. L. 17, supr. de servit. — 12. Obs. L. 5, supr. de oper. servor. — 13. § 14, Inst. de legat. — 14. L. 5, infr. h. t. — 15. Immo vide L. 15, supr. de jurisdiction. — 16. L. 1, § 2, infr. si cui plus, quam per leg. Falcid. — 17. de leg. 1, § 1. — 18. L. 3, supr. de annuis legat.; L. 19, infr. quando dies legat. — 19. L. 48, in fin. infr. de legat. — 20. L. 96, in pr. infr. cod.; L. 44, § ult. supr. de evict. — 21. L. ult. § 2, C. de iure trib. — 22. Inst. h. t. — 23. L. 6, in pr. C. cod.

Quare nec fidei committi legatarii poterit. Quod si dies aut conditio legatum fecerit, non utilitatis aestimatio, sed totum petetur quod datum est: nec si vivo testatore dies venerit, aut conditio fuerit impleta, fiet irritum quod semel competit.

6. VENTURIUS, [lib. 13 Stipulationum].

Si vir uxori heres exstiterit, et in funus ejus impenderit: non videbitur totum quasi heres impendere, sed deducto eo, quod quasi dotis nomine, quata lucrificat, conferre debuerit.

7. PAPIANUS, [lib. 7 Quaestionum].

Lege Falcidia interveniente legata servitus, quoniam dividi non potest, non aliter in solidum restituitur, nisi partis offeratur aestimatio.

8. Idem, lib. 14 Quaestionum.

In legem Falcidiam aëris alieni rationem in hereditate relictæ, quod unus ex heredibus solvere damnatus sit, ipse solus habebit.

9. Idem, lib. 19 Quaestionum.

In Falcidia placuit, ut fructus postea percepti, qui maturi mortis tempore fuerunt, augeant hereditatis aestimationem fundi nomine, qui videbitur illo in tempore fuisse pretiosior. — § 1. Circa ventrem ancillæ nulla temporis admissa distinctio est, nec immerito: quia partus nondum editus, homo non recte fuisse dicitur.

10. Idem, [lib. 20 Quaestionum].

Quod supra quadrantem apud heredem potest pervenire, supra duodrantem in pecuniam legatum non onerat heredem: veluti hereditas pupilli, si forte substitutus sit exheredatus, qui patri pupilli heres exstitit.

11. Idem, lib. 29 Quaestionum.

In ratione legis Falcidiæ retentiones omnis temporis heredi in quadrantem imputantur. — § 1. Si servus sub conditione libertate data, vita decessit: si quidem impleta conditio quandoque fuerit, heredi non videbitur perisse: quod si defecerit, in contrarium ratio trahit: sed, quanti statuliber, moriens fuisse videbitur. — § 2. Imperator Marcus Antoninus decrevit, heredes, quibus pars bonorum oblata est, non in ampliore partem, quam pro ea parte, quæ relicta est, legatorum nomine teneri. — § 3. Cum quidam parte dimidia bonorum adempta fuisset relegatus, idemque, provocatione interposita, testamento postea facto, obtisset, atque post mortem ejus, non *juste appellatum*, esset pronunciatum: quaesitum est, utrum aëris alieni loco pars dimidia abscederet, ut residua sola videretur fuisse in bonis, an vero succurri heredi necessarium esse videbitur? Sed videbitur succurri debere: cum animus ligantis [et] obtinendi votum hanc opinionem admittit. — § 4. Si servus testamento manumissus ante aditam hereditatem decedat, heredi quidem perisse intellegitur: sed conjus pretii erit, qui si viveret, non astimaretur? Nam et eos, qui moriente domino ea valetudine affecti fuerant, ut eos non posse vivere certum esset, tamen si postea moriantur, hereditati perisse responsum est. Nec aliud in his, qui sub eodem tecto fuerunt, cum dominus a familia necaretur. — § 5. Quod vulgo dicitur, *in tabulis patris et filii unam Falcidiam servari*, quam potestatem habeat, videndum est. Quamvis enim substitutus, quæ a pupillo relicta sunt, cum filius heres exstitit, ut aë alienum quodlibet debeat: tamen propter ea, quæ data sunt tabulis secundis, contributionis locus est; secundum quæ poterit evenire, ne substitutus quicquam retineat, vel ut longe plus habeat quartæ paternæ hereditatis. Quid ergo, si non sufficiat pupilli hereditas legatis, cum patris sufficisset? De suo quadrante nimirum dabit substitutus: quoniam pater legavit de suo: nec ad rem pertinet, quod ex nullo testamento prestatat ultra vires patrimonii, cum in hac parte juris legata, quæ tabulis secundis relinquuntur, quasi primis sub conditione relicta intelliguntur. — § 6. Si filio suo duos substituerit, et alterius portionem oneraverit, tractari solet, an ex persona sua Falcidiam possit inducere substitutus, quam pupillus non haberet, vel unus pupilli substitutus? Et facile quis dixerit consequenter prioribus, quæ de patrimonii ratione dicta sunt, non esse Falcidiæ locum: et ultra vires portionis conveniendum alterum substitutum: sed verior est diversa sententia, perinde huic quartam relinquendam existimantium, atque ita si patri heres exstiterit: ut enim opes patris et contributio legatorum inde capiunt et formam et originem, ita plures substituti, subducta persona pupilli, revocandi sunt ad intellectum institutionis. Quid tamen dicemus de altero substituto, qui non est oneratus: si forte nondum legata pupillus a se relicta solvit, et aliquid ultra dolantem sit: in omnibus et

23. § 11. Inst. de legat. — 24. L. 1. § 2. supra. — L. 30. in fin. inf. h. t. — 25. L. 33. in fin. sup. de legat. — 26. L. 1. § 2. supra. de vide. et pupilli substit. — 27. L. 30. inf. h. t. — 28. L. 30. in pr. inf. cod. — L. 1. § 1. inf. si cui plus, quam per leg. Falcid. — 29. L. 30. in fin. inf. h. t. — 30. L. 6. C. de heredit. action. — 31. L. 30. in fin. sup. de

ipsum Falcidiam habiturum? At quin quartam habet: neque idem patitur instituti comparatio; rursus si negemus, aliud aperte, quam quod vulgo probatum est, responderetur. Itaque varietas existet: ut is quidem, qui proprio nomine oneratus est, veluti institutus desideret quartam: alter autem, qui non est oneratus, ut substitutus, licet portio largiatur ejus, non in solidum conveniatur propter calculi confusionem. Huic consequens est, ut si pupillo de Falcidia cautum fuit, duobus committatur stipulatio: videlicet in eam quantitatem, quam unusquisque sibi retinere potuisset. — § 7. Quaesitum est, si quis pupillo coheredem substituisset: quemadmodum legis Falcidiæ ratio inquiri debeat, et quale est, quod vulgo diceretur, *legatorum rationem separandam*? Dixi, quantum ad legata, quæ pater a filio, item a substituto reliquit, nullam fieri posse separationem; cum communi calculo subjiciantur, et invicem inducantur contributionem: sed legata, quæ ab instituto extero data sunt, permisceri cæteris non oportere: ideoque quartam pupillo date portionis habere substitutum, quamvis suam portionem habeat, ut institutus; et aliam causam esse ejus, qui ex variis portionibus heres scriberetur: ibi enim legatorum confundi rationem non minus, quam si semel fuisset nuncupatus ex ea portione, quæ conficeretur ex pluribus; neque referre, pure sæpe, an sub diversis conditionibus sit heres institutus. — § 8. Si quis exheredato filio substituit heredem institutum, et ab eo tabulis quoque secundis legaverit: necessario ratio confundetur; cum ideo legata valere dixerit Julianus a substituto relicta, quod idem patri heres exstiterit.

12. Idem, [lib. 30 Quaestionum].

Si debitor, creditore herede instituto, petisset, *ne in ratione legis Falcidiæ ponenda creditum suum legatariis reputaret*: sine dubio ratione doli mali exceptionis apud arbitrum Falcidiæ defuncti voluntas servatur.

13. Idem, [lib. 37 Quaestionum].

Si tacitum fideicommissum servus injungente domino suscepit, habiturum eum legis Falcidiæ beneficium, quia parere domino debuit, constitutum est. Idemque placuit in filio, qui fuit in patris potestate.

14. Idem, lib. 9 Responsorum.

Pater filiam, quæ a viro diverterat, heredem pro parte instituit, et ab ea petit, ut *fratri et coheredi suo portionem hereditatis acceptam, deducta sexta, restituere*; admissa compensatione dotis in Falcidia ratione: si pater dotem consentiente filia non petisset, Falcidiam quidem jure hereditario, dotem autem jure proprio filiam habituram, respondit: quia dos in hereditate patris non inveniretur. — § 1. Avia nepotibus heredibus institutis, fideicommissit, ut *omissa retentione, quæ per legem Falcidiam ex aïo testamento competebat, solida legata fratribus, et coheredibus solverent*: recte datum fideicommissum respondit, sed hujus quoque onus in contributionem venire. — § 2. Duobus impuberibus substitutum, utriusque heredem existentem, in alterius hereditate Falcidia non uti convenit, si de bonis alterius impuberis quartam partem hereditatis patris, quæ ad filios pervenerit, retineat. — § 3. Quod si [frater fratri] legitimus heres exstitit, et impuberi supremo substitutus, portio quidem paternorum bonorum, quam intestatus pater accepit, rationi Falcidiæ non confundetur: sed quartam ejus tantum portionem substitutus retinebit, quam impubes accepit, qui substitutum habuit.

15. Idem, lib. 13 Responsorum.

Quod bonis jure Falcidiæ contribuendum est a debitore, cui mortis causa pacto debitum remissum est, in factum concepta replicatione retinebitur. — § 1. Frater, cum heredem sororem scriberet, alium ab ea, cui donatum volebat, stipulari curavit, ne *Falcidia uteretur, et ut certam pecuniam, si contra fecisset, præstaret*. Privatorem jure publico legibus non esse refragandum constitit: et ideo sororem servæ publicæ retentionem habituram, et actionem ex stipulatu denegandam. — § 2. Non idcirco minus Falcidiæ rationem in cæteris annis legatis admitti visum est, quod primo ac secundo anno, sine ulla detractioe fuissent legatario soluta. — § 3. Quod avus ex causa tutelæ nepoti delinuit, cum avo nepos solus heres exstiterit, ratio Falcidiæ si poneretur, in aëre alieno bonis deducendum respondit: nec ad rem pertinere, quod heredem avus, idemque tutor rogaverat, ut si sine liberis ante certam ætatem decederet, tam hereditaria, quam propria bona restituere: non enim ex hoc hereditatem debito compensatam videri, cum vel ideo maxime declaratur, non esse compensationem factam, quoniam heredem suum habere propria bona defunctus ostendit. Plane si conditio fideicommissi fuerit impleta, fructus hereditatis post mortem avi percepti, pari pecunia debito tutelæ

his, quæ ut indiget. L. 37. in pr. sup. ad leg. Aquil. L. 14. in pr. inf. ad leg. Cornel. de falsis. — 32. L. 43. sup. de vulgar. et pupilli substit. — 33. L. 20. in pr. sup. de religio. — 34. L. 15. C. de testam. — 35. Vide tamen L. 48. inf. h. t. — 36. L. 16. inf. cod. vide tamen N. 1. c. 3. — 37. L. 6. in pr. C. h. t.

compensabuntur: sed quartam heres nepotis de bonis duntaxat, quæ moriens avus reliquit, retinebit. — § 4. Cum fideicommissum ex voluntate matris a patre moriente debitum filio pater hereditate sua, quam in filium conferbat, compensari voluit: quod filio debetur, si ratio Falcidiæ poni cæperit, fini quadrantis, quem ex bonis patris cum effectu percipit, compensabitur, atque ita superfluum aëris alieni doctanti tantum detrahetur. — § 5. Ex donationibus in uxorem collatis, quod heres ejus reddere viro cogitur, in bonis mulieris non erit: nam ita fit locupletior, ut tanto pauperior esse videatur: quod autem heres inde minuit, viro non perit. — § 6. Fructus prædiorum sub conditione verbis fideicommissi relictos, in causam fideicommissi non deductos heres in ratione Falcidiæ sic accepto facere sibi cogitur, ut quartam, [et] quartefructus ex die mortis, bonorum quæ mortis tempore fuerunt, habeat. Nec ad rem pertinet, quando Falcidia lex admissa sit: nam etsi maxime post impletam conditionem fideicommissum locum habere cepit, tamen ex die mortis fructus quadrantis apud heredem relinquere necesse est. — § 7. Fideicommissum portionis supplendæ gratia, pro qua matrem filius heredem instituit, eidem matri datum ratione Falcidiæ minuitur: et eam pecuniam mater supra quartam portionis suæ percipiet. — § 8. Quarta, quæ per legem Falcidiam retinetur, aestimatione, quam testator fecit, non magis minui potest, quam auferri.

16. SCEVOLA, lib. 3 Quaestionum.

Si ex pluribus rebus legatis heres quartam solverit, ex reliquis Falcidiam plenam per doli exceptionem retinere potest, etiam pro his, quæ jam data sunt. — § 1. Sed etsi una res sit legata, cujus pars soluta sit: ex reliquo potest plena Falcidia retineri.

17. Idem, lib. 6 Quaestionum.

Si post missionem faciat codicillos miles, et intra annum decedat: ex testamento, quod in militia jure militari fecit, plena legata; ex codicillis, habita Falcidia ratione, præstari debere dicitur; sed res ita expeditur: si cum quadringenta haberet, testamento quadringenta, codicillis centum legaverit, ex quinta parte [id est, octoginta, quæ ad legatarium ex codicillis pervenirent, si Falcidiam non pateretur] quartam [id est, viginti] heres retinebit.

18. PAULUS, lib. 11 Quaestionum.

Filiusfamilias, qui militaverat, decedens patris sui fidei commisit codicillis, ut *peculium suum castrense Titio post mortem restitueret*. Quaerebatur an ut heres quartam deducere possit? Dixi, legem Falcidiam inductam esse a divo Pio etiam in intestatorum successionebus propter fideicommissa: sed in proposito nec hereditatem esse: quamvis placeret mihi, extraneo herede instituto, fieri hereditatem additione ejus; nam cum apud patrem remanet, jus pristinum durat, et peculium est; nec huic contrarium est, quod in testamento ejus, qui apud hostes decessit, exercetur Falcidia: nam fictio legis Corneliæ et hereditatem et heredem facit; sed me non dubitare, quin debeat id quoque indulgeri legis beneficium, si quidem [quasi] patrisfamilias bona restituere cogitur, et heres scriptus, omnia ex testamento additione, exemplo edicti legatorum nomine conveniatur. — § 1. His consequens erit, ut, si ex fructibus medio tempore quartam, et quartæ fructus habuerit pater, etiam Trebellianum senatusconsultum inducamus, et utiles actiones exerceri possint, fiatque hereditas post restitutionem.

19. SCEVOLA, lib. 8 Quaestionum.

Si dignum decem fundum damnetur heres quinque vendere: sine dubio quinque erunt imputanda Falcidia.

20. Idem, lib. 9 Quaestionum.

Si a servo meo herede instituto mihi legetur, et mihi acquiratur hereditas: negat Mæcianus, id legatum in Falcidia computari: quia non debeat.

21. PAULUS, [lib. 12 Quaestionum].

Si pupillus, cui sine tutore decem mutua data sunt, legatum a creditore meruerit, sub hac conditione, *si decem quæ acceperit, heredi reddiderit*: una numeratione et implet conditionem, et liberatur naturali obligatione, ut etiam in Falcidia heredi imputentur: quamvis non imputarentur, si tantum conditionis implendæ causa data fuissent. Adeo autem et solvere videtur, ut repudiato legato, vel Stichio, qui legatus

38. L. 23. § 2. inf. ad SC. Trebell. — 39. L. 81. § 4. sup. de legat. 1. — 40. L. 27. in fin. inf. h. t. — 41. L. 15. § 2. sup. cod. — 42. L. 93. L. ult. inf. cod. — 43. L. 17. § ult. L. 18. sup. de testam. milit. — 44. L. 1. § 18. inf. ad SC. Trebell. L. 12. C. de testam. milit. — 45. L. 1. § 3. sup. h. t. — 46. L. 30. § 1. L. 87. in pr. inf. cod. — 47. Vide tamen L. 25. sup. de legat. 1. — 48. § 3. Inst. de legat. — 49. Immo vide L. 59. inf. de oblig. et act. —

est, mortuo, nihil repetere possit. — § 1. Si ego, et servus meus heredes instituti simus ex diversis partibus, nec a servo erogatus doctans his, quibus a me legatum est: contra Falcidiam proderit, quod ex portione servi ad me pervenit supra Falcidiam ejus portionis. Ex contrario si servo meo servus, et mihi decem legata fuerint: servi Falcidia ex decem mihi legatis non tenetur, exemplo eodem Falcidiæ: nam quartam retineo ex persona servi, quamvis de mea portione nihil exhaustum sit.

22. Idem, lib. 17 Quaestionum.

Nesennius Apollinaris Julio Paulo. Ex facto, domine, species ejusmodi incidit: Titia filias suas tres numero æquis, ex partibus scripsit heredes, et a singulis legata invenit dedit, ab una tamen ita legavit tam coheredibus ejus, quam extraneis, ut Falcidiæ sit locus, quæro, an adversus coheredes suas, a quibus legata et ipsa accepit, uti possit Falcidia: et si non possit; vel doli exceptione summovenda est, quemadmodum adversus extraneos computatio Falcidiæ iniri possit? Respondi, id quidem, quod a coherede legatorum nomine percipitur, non solet legatariis proficere, quo minus Falcidiam patiantur: sed cum is, qui legatum præstaturus est, ab eodem aliquid ex testamento petit, non est audiendus, desiderans uti adversus eum Falcidiæ beneficio, si id, quod percepturus est, ex voluntate testatoris, suppleat, quod deducere desiderat. Plane cæteris legatariis non universum, quod coheredi præstat, imputabit: sed quantum daturus esset, si nihil ab eo perciperet. — § 1. Servo herede instituto, si a domino fideicommissa, a servo legata data sunt: prius ratio legatorum habenda est, deinde ex eo, quod superest fideicommissorum; dominus enim ideo tenetur, quod ad eum pervenit: pervenit autem, quod deductis legatis superest; plane Falcidiam exercet. — § 2. Sed et si dominus, omnia hereditatis additione, servum sibi substitutum adire jussit: prius erogatur, quæ ab ipso domino data sunt; tunc eorum, quæ a servo relicta sunt, ratio initur, si patitur Falcidia. — § 3. Si debitori liberatio legata sit, quamvis solvendo non sit, totum legatum computetur: licet nomen hoc non augeat hereditatem, nisi ex eventu. Igitur, si Falcidia locum habeat, hoc plus videbitur legatum, quod huic legatum esset: cætera quoque minuuntur legata per hoc, et ipsum hoc per alia: capere enim videtur, eo quod liberatur. — § 4. Sed si alii hoc nomen legetur, nullum legatum erit: nec cæteris contribuatur.

23. SCEVOLA, [lib. 15 Quaestionum].

Si fundus mihi legetur, et via: in Falcidia ratione, si tantum sit in via, quantum amplius est in Falcidia, integer fundus capietur, et via perit. Sed si via legetur, nec solvendo sit hereditas: non debetur. Videndum etiam, si fundo et via legato, minus ex utroque desideret, quam sit via pretium? Potest coacta ratione dici, non tantum fundum solidum capi, sed etiam ut doli exceptio tantum sarciat, quantum deest: ne plus habeat, quam Falcidia desiderat; ut tunc solum via intercidat, quotiens plus Falcidia desiderat, quam est via pretium.

24. PAULUS, [lib. 14 Responsorum respondit].

Falcidiæ legis rationem, si haberi oportet, ita habendam, ac si haeres, quæ ab herede subtractæ sunt, in hereditate relicta non fuissent. — § 1. Idem respondit, partus ancillarum ante diem fideicommissi editos, ad heredes ejus, qui rogatus est, pertinere: eosque in quartam et quartæ fructus computandos, si de lege Falcidia quaestio intercedat. — § 2. Idem respondit, fructus ex propria re heredis, quæ legata est, post diem fideicommissi cedentem perceptos, etsi non sint restituendi fideicommissario, heredi in quartam imputari non solere.

25. SCEVOLA, [lib. 4 Responsorum].

Maritum suum et filium communem æquis partibus heredes instituit. Quaesitum est, an in ratione legis Falcidiæ imputandum sit marito, quod ad eum ex eadem hereditate per filium pervenit? Respondit, si ex institutione filii tantum retineat, quantum ad Falcidiam satis sit: nihil quartæ nomine deducendum. — § 1. A liberto, cui fundum legaverat, per fideicommissum Sciaë annua decem dedit. Quaesitum est, si lex Falcidia liberti legatum minuerit, an Sciaë quoque annuum fideicommissum minutum videatur, cum reditus largiatur annuam prestationem? Respondit, secundum ea quæ proponerentur, non videri minutum, nisi alia mens testatoris probetur.

26. Idem, [lib. 5 Responsorum].

Lineam margaritarum trigintaquinque legavit, quæ linea apud legata-

49. L. 1. § 14. sup. — L. 78. in fin. inf. h. t. — 50. L. 74. L. 91. inf. cod. — 51. L. 55. § 1. sup. de hered. instit. — 52. L. 6. in pr. sup. si quis omnia caus. testam. — 53. L. 82. inf. h. t. — 54. L. 31. § 1. et ult. inf. de mort. caus. donat. — 54. L. 86. § 1. inf. h. t. — 55. L. 6. sup. de his, quæ ut indiget. — 56. L. 21. § 1. sup. de annuis legat.